



r!
Da veniam, precor,
nescis quid blateras.
precor; quid a me
[cupis?
es audivi plurimos,
opprimi molestiis.
qui venerunt undi-
[que,
rfidius vestiunt,
t nos decipere.
rptiter in pectore:
patriae molestias.
ster ipse et anxius!
quae non intersunt
[sua?
osse Romanos adde-
[cet,
Istos repellere
stris littoribus.
familiarissime?
s!
Dic hostes potius!
scis id aetatis puer,
cum sit lac in labiis?
usimus iudicium, ■
bem, quem gerebant
[veteres.
? Precor, quid iuve-
[nes?
ves licet parvuli!
tempus non addecet.

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

Sedes filiae apud exteris gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Constantinopoli.

In Asia minore. Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

☞ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ☜

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De saluatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

IOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xylina structura aureoque titulo, lib. 4.











I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.          

De Ecclesiae Catholicae Magisterio
in studiosae iuventutis institutione ¹

His positis fundamentis, lubeat solidum Ecclesiae magisterium ex fructibus maxime putare.

Inter studiosae genitricis ulnas vagit infans: infanti lac sucturo foecundum porrectum est uber; nec dispar eidem e matris corde succus amoris. Verni dies nutritimine et affectu pusillum sexies refererunt; et ecce liliisque rosisque coronatus, quae lactis albedine et amoris igne depicta recte dixeris, in scholarum limina pedes infert puerulus, cui, prae venusto innocentiae ore habituque gestienti, divinum charitatis subrisum rependit magister.

Hoc unum ab adeo pretiosa creatura, quae purae mentis castique corporis pulchritudine fruitur potius quam gloriatur (sic diceret Minucius), magister expectat curis aestuans: primum videlicet docilitatis signum, in minimis neququam ponendum, quippe quod, quum caesiis fulgens radiis illucescit, felicem cum evangelica lege tenelluli alumni coniunctionem omittatur. Tunc quidem vox intonat Praecepto-

¹ Cfr. fasc. sup.

ris illam vocem iterans, cuius vi immensa mundi moles, offusa iamdiu caligine densi, quondam resplenduit: *Fiat lux!* Et divina iudicia ex magistri labris quasi lux egrediuntur, tenello est Dominus in lucem sempiternam ... et *fructus lucis est in omni bonitate, et iustitia, et veritate.*

Illa interim sapientia, quae « vapor est virtutis Dei, et emanatio quaedam claritatis Omnipotentis Dei sincera », sic mentem pubescentis informat, erudit, illustrat, sic animum disponit, movet, accendit, ut angelorum conditioni humana pueri natura coagmentata videatur. Magistri opera et curis quo doctior iuvenis fit et eruditior, quo altius eiusdem mens in scientiae arcana insinuat, eo ferventiori et tenebrosiori corde exsultat in Domino, quia *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes.*

Verbum Christi, quod adolescentis *auditui dat gaudium et laetitiam*, pretiosissimum fidei charisma amanti cordi ex auditu ingerit et donat. Per magistri doctorisque caritatem et alumni amorem fidei mysterium in conscientia pura habitat et regnat, cor dilatat, laetificat, inflammat, rationem nobilitat, elevat, illuminat, exacuit. Non est cur carcer, quo ratio cohibetur, catena, qua vincitur, fides dicatur. Re quidem vera carcer fides est, cuius

tectum stellantis convexa firmamenti, cuius muri nec trans vasta aquarum aequora, ne ultra quidem, ab humana ratione unquam adspiciuntur. Infinitis composita nodis catena fides est, quae hominis ingenium a solis ortu usque ad occasum spatium permittit, ut divinae creationis portenta miretur obstupescens, et quod supra nos est adoret, et reddat cum Tertulliano «... testimonium animae naturaliter christianae; noverit sedem Dei vivi; ab illo et inde descendat».

Sed quo mirificos agant christianos dilecti alumni, ad hoc praecipue attendit magister, ut quae fide et ratione pueri adolescentesque perceperunt, opere compleant, moribusque confirmant. Dum ergo eorum labris hanc Domino dulcissimam cantationem suggerit magister: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*, amoris flammam in Domino, *qui ignis consumens est, et Deus aemulator*, abstrusas excudit industrius; et, solaris instar radii, per vivificam Iesu Christi gratiam alumnis communicat luminis calorisque pignus. Inde fit quod, « quum principium vitae sit fides, finis vero eius sit dilectio, ambae vero simul iunctae in unitate factae hominem Dei perficiant », prout invictissimus Christi Martyr Ignatius ad Ephesios scribit, pulchra et pretiosa parentum generatio, quibus formosa filiorum corporis moles summae voluptatis non est, sed christiana eorundem institutio, non hauriat solum, Ecclesia magistra, illam de humana natura, de terrena militia, de vita futura caelestem doctrinam, nec solum imposita conscientiae officia et concessa christiferis iura nocte dieque ruminetur, sed, quod perfectius quidem est, Deum filiali dilectione prosequi discat, hac nempe amoris affectione, quae, Sancto Abbate Claravallensi testante, « excellit in naturae donis, praesertim quum ad suum recurrit principium, quod est Deus ».

Quod Tullius, solius rationis lumine ductus et nigranti philosophiae ethnicae pulvere obcaecatus, certissimum affirmavit, praeclarius illucet Ecclesiae Catholicae doctoribus, qui, praeter miras naturali ingenio concessas cognitiones, germanam, indubiam, perfectam de Deo eiusque operibus notionem, altiore quam soli ingenio par est, per divinam revelationem accipiunt. « Cognitio contemplatioque naturae, - sic ait prae laudatus philosophus, - manca quodammodo atque inchoata esset, si nulla actio rerum consequatur ». Huius actionis argumentum praebet nobis luculentissimum illud *quaere super nos*, quo Tagaste decus immortale sublimi quodam magisterio, divina quadam virtute innutrit natura, aeternae mox pulchritudinis consortem divinitus factum. Post doctores iuvat et adolescentes mirari religiosos, « Deo nempe, - prout docet Lactantius, - Deo praecipuis vinculis religari, unde ipsa Religio nominatur ». Iuvat eos divinas perfectiones et attributa in qualibet creatura perspicere et, quantum fieri potest, aestimare; veritatis simul et honestatis leges naturae nostrae consentaneas, ab aeterno Deo conceptas, salutariter praescriptas, rectissimeque sancitas, agnoscere et observare, intellectum videlicet ad verum dirigentes, ad bonum componentes voluntatem, ut Deo perenniter coniuncti felicitatem vel a teneris annis assequi, eaque ad ultimam usque senectutem perfrui valeant. Statim quum moralem hanc omnium principem virtutem, Religionem scilicet, fuerint alumni sub optimi magisterii ductu et doctrinis assequuti, quidquid natura incepit, et ars direxit, quam mira facilitate usus perficiet. Duarum alarum vi, terrena pulchritudinis et caelestis, quo Deus vocat, impulsu super visibilem creationem quasi aquila sublimes feruntur, *stringit et auratos stellata corona capillos*, quam per honorem Deo exhibitum et subiectionem praestitam

sibi compararunt. Exoritur et hinc in disciplina et dilectione profectus. Ineffabile creationis thesauri, qui naturali rationis lumine perspecti tenerum cor abripuerant, adolescentulis nunc fide illustratis apparent, ut re vera sunt: visibilis *ex tempore et de nihilo* universi productio, ab uno principio *primo, solo et summo*; mira divinae Omnipotentiae manifestatio, quae suam aeternam efficientiam pro salute nostra voluit usque ad spatii fines temporumque deficientiam extendi. Huius creationis, quasi pretiosissimi libri, paginas mens pervolvit avida et indefessa, in eaque sermonem Domini contentum comprehendit « vivum et efficacem, et penetrabiliorem omni gladio ancipiti »; illum sermonem, quo non solum omnipotentis Dei gloria consignatur, verum etiam Dei miserentis dilectio, humanam creaturam sempiterni gaudii heredem per Iesum Christum constituens. Praeterea, prima Veritas, quae Deus est, formale fidei nostrae obiectum, quum sit « humanae salutis initium, et radix omnis iustificationis », ex Concilii Tridentini definitione, quid miramur, si in Deum sincere credentes, hi praesertim, qui mundanae perversionis sunt expertes, illa vera luce illuminentur, « quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », atque illo simul igne, quem Deus misit in terras, accendantur, flammis scilicet aeternae caritatis? Credunt in Filium Dei; illico suae pacis abundantiam profert et profundit Redemptor noster, « qui eos replet omni gaudio, et pace in credendo, ut abundant in spe et virtute Spiritus Sancti ». Credunt in Filium Dei: et ad promissiones illis Iesu Christi verbis commoventur, quae inter mundanos strepitus personant: *Ego sum via, veritas et vita*. Credunt in Filium Dei: et omnia in Eo, qui est omnia in omnibus, inveniunt, quia Dei Filium suum corpus, suam animam, suam divinitatem tradit hominibus, ita prae gaudio

gestientibus, ut cum Divo Paulo rapti exclament: « Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus ». Divino Redemptoris amplexu recreati (nam sacrosancti Iesu Christi corpore nutriendi, sicut novellae olivarum, in circuitu mensae Domini accubere) innocentiam et puritatem plurimi pendunt adolescentes, « pacem consuetudinis bonae », prout definit Sanctus Augustinus; illam, inquam, nullo pretio aestimandam gemmam, qua juvenis ornatus, ipsissimo philosophi Genevensis testimonio favente, hominum generosissimus, optimus, meritissimus efficitur.

Mira Ecclesiae magisterii opera pusio iste, quem recens natum, et inter rei familiaris angustias eductum, taberna fortasse excepit, insigni potitur gentilitio, caelesti prosapia se exortum gloriatur. Apage te, vanum, sordidumque genus, quod, velut mobili arenae impositum monumentum, super inanes metalli aggeres exurgis, temporis vicibus vana supellex et ludibrium!... Ecce novam et tenellam generationem a generatione prava et stulta salvam, per fidem et charitatem; ecce perpeti virtutum stemmate adolescentum animos, parentum nomen, patriae fastos, immortalis Religionis manu conscriptos, honestata; ecce victricis praemia fronti de litteris, doctrinis et bonis artibus meritisime concessa. Sophia et pietate florentibus filiis avitam domum praegestire parentes contemplantur: procul e societate vel minimum mortiferae ambitionis fomentum, procul indebitae potestatis abusus. Iustitiae tandem solidatis principiis faustitas est et sempiterna vita. « Arcus enim, et statuas, - ait Plinius Caecilius, - aras etiam, templaque demolitur et obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas; contra, contemptor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa vetustate florescit ».

Ecquisnam ergo diffiteatur quascumque novorum argutias subversum iri,

si talibus disciplinis instituentur pueri? Nullo modo fidei iactura, veritatis corruptio, vel unitatis scissio timenda est, quum adolescentis mens solidis naturae scientiaeque documentis imbutur, et cor fidei scuto munitur. Insideant uniuscuiusque alumni animo, insideant illa Divi Ignatii Martyris ad Heronem verba: « Omnis qui dixerit praeter illa, quae tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ovium corruptionem operans ». Quid tunc poterunt infesti rei christianae inimici? quid effrontes novatores?... Imminent heu! imminent bene natis puerulis infanda huius aevi flagitia! Lacrimosis oculis intuemini, regnum Dei « quod intra nos est », sensuum regno supplantari, in hac pretiosa generatione, quae aetati nostrae succrescit, eorum causa, qui, « superbi mente cordis sui », post susceptam cognitionem rationis obsequium et voluntatis famulatum Deo negantes constiterunt. Eos cepit transversos agere indigesta et inanis scientia, quae tamen, flamine vanitatis tumefacta falsisque refulgens uti bulla gemmis, consuetudini contra Deum disputandi obsequi non erubescit, etsi haec, iuxta Ciceronis sententiam, mala utcumque sit et impia consuetudo. Aliud mihi declares, quaeso, peius stultitiae eorum genus, qui « ut putentur sapere, caelum vituperant » teste Phaedro. Non enim in suas disputationes milites impii revolvuntur, ut Deum tandem confiteantur, et adorent, et colant cernui; superba est huiusmodi disputationum indoles: « cum Deo contendere, - ait D. Gregorius Papa, - est non ei tribuere, sed sibi gloriam suae virtutis arrogare ». Unde quo prolixior fit impiorum disputatio, eo arrogantius Dei nomen per ipsos blasphematur. Quonam ergo modo Ecclesiae Catholicae magisterii progressus mirari et fovere quiverint philosophi isti, quorum

facies, - nec poenitet me eiusdem Gregorii verba usurpare - quorum « facies rationalis, corpus autem bestiale »? Vere lubrico pulvere adolescentum institutionem substruere conantur! At sub truculenta indignae mortis falce vitae principium constitui, artis item scientiaeque demissioni genii dignitatem et celsitudinem meritorum honores deberi, quisnam, nisi mentis lumine careat, audebit affirmare? Affirmant tamen o isti! illorum nepotes, quos, uti poetas ex capite tribus Antyciris insanabili nunquam tonsori Licino commisso, ita philosophos ex barba metiri oportebat!... Si genium ex effreni licentia et facultatum corruptione, « si philosophum oportet ex barba metiri, hircos, - cum Luciano dicam et sit venia verbis, - hircos primam laudem ablaturus ». Sed *haec sunt lacrimae rerum!* Philosophorum istorum catervae statolatriae cultui indulgentes (hinc enim propria ambitio et vitae superbia ventos secundos habent) regimine publico potitae iugum maxima iniuria christianae plebi imposuerunt iniquae institutionis, in quam insurgere oportet non solum ecclesiasticum ordinem, cuius Catholicae doctrinae puritas et propagatio partes sunt praecipuae, verum etiam parentes, qui christianam religionem profitentur, et quos, quemadmodum filios educare et instruere naturae officium constringit, ita eiusdem naturae ius inducit, et persuadet, ut hos viros exigant eorum vices in cathedris gesturos, qui filios carissimos christianis institutionibus erudiant. Imo omnes prorsus cives tale iugum excutere debemus; non enim Turcarum Indorumve codex nos in nationem adunat, et mores dirigit, et pacem adpromittit, sed catholicae religionis professio, quam liberam et tutam servari tum in publicis tum in privatis scholis, totis viribus innitatur, concordio voce conclamemus. « Ituri in bellum, - sic quidem ethnicus, - maiores nostros et posteros cogitemus ».

Cogitemus complures Sanctos societatis humanae reformatores, qui salutiferum Ecclesiae Catholicae subsidium per iuventutis christianam institutionem providebunt. Cogitemus et tot viros, qui, rebus gestis in scholarum exercitio et cathedrae dignitate praestantes, memoriam in benedictione nacti fuere. Cogitemus et posteros, vernos familiae flores, futurum societatis decus et ornamentum, iuventutem dilectissimam cogitemus. O utinam qua quidam vates virum clarissimum affecit laude, hac quoque Ecclesiae Catholicae magisterio fungentes afficiamur:

*Grandem animam in pectus pueri inspirare solebas;
Iussisti et dubios altius ire pedes.*

THOMAS VIÑAS, S. P.

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS ¹

Parentes et liberi.

Patrem filii praecipientem habes (α, 307): "Ἦτοι μὲν ταῦτα φίλα φρονέων ἀγορεύεις, ὅστε πατὴρ ᾧ παιδί.

THEOGNIDES (1049): Σοὶ δ' ἐγὼ οἶά τε παιδί πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτὸς ἐσθλά.

Infantem in manibus matris dormientem habemus ex CAT. (XVII, 12) *pueri instar bimuli tremula matris dormientis in ulna.*

Ex eodem (68, 119):

*Nam neque tam carum confecto aetate parenti
una caput seri gnata nepotis alit:
qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
nomen testatas intulit in tabulas,
impria derisi gentilis gaudia tollens,
suscitat ab cano volturium capite,*

aliquantulum mihi concinere videtur cum (I, 481): Καί με φίλησ' ὡσεὶ τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλῆση μοῦνονη τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.

¹ Cfr. fasc. sup.

Amorem matris LYGDAMUS commemorat (4, 51): *Tantum cara tibi quantum nec filia matri;* pluribusque verbis explicuit HORATIUS pulcherrima imagine (C.IV, 5, 9):

*Ut mater iuvenem, quem Notus invido
flatu Carpatii trans maris aequora
cunctantem spatio longius anno
dulci distinet a domo,
votis ominibusque et precibus vocat
curvo nec faciem litore dimovet,
sic desiderii icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.*

Qua vix locum delicatorem per tota Horatii carmina invenias et quae imprimis, ut breviter dicam, monstret Horatium hominem fuisse, neque vitam suam direxisse ad amussim frigidae illius et inanis sententiae: *Nil admirari.*

Ceterum iam Homerus patrem, qui filium redeuntem amplectitur in comparatione adhibuerat (π, 17):

Ὦς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φιλοφρονέων ἀγαπάξει
ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δέκατφ ἐνιαυτῶ,
μοῦνον τηλύγετον, τῷ ἔπ' ἀλγεα πολλὰ μογήσῃ.

Et (ρ, 397):

Ἀντίνο', ἦ μοῦ καλά, πατὴρ ὡς κήδεαι υἱός.

Patrem filii mortem lugentem (ψ, 222): Ὦς δὲ πατὴρ οὐ παιδὸς ὀδύρεται ὅστέα κείων νυμφίου, ὅστε θανάων δειλοῦς ἀκάχησε τορῆας ποῦται elegiaci neglexerunt.

Matrem exhibet OVIDIUS (*Fast.*, II, 813): *Passis sedet illa capillis, ut solet ad nati mater itura rogam.*

SAPPHO, cuius est (*Fr.* 38): Ὦς δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπετέρωμαι, haud scio an spectaverit (Θ, 271): Αὐτὰρ ὁ αὖτις ἰών, παῖς ὡς ὑπὸ μητέρα, δύσκειν εἰς Αἴανθ'.

THEOCRITUS certe (14, 31): Ἄ δὲ κνίσκα ἔκλαεν ἐξαπίνας θαληρώτερον ἢ παρὰ ματρὶ πάρθενος ἐξαέτης κόλπῳ ἐπιθυμήσασα in brevius contraxit (Π, 7):

Τίπτε δεδάκρυσαι, Πατρόκλεις, ἠῦτε κούρη νηπίη, ἢ θ' ἅμα μητρὶ θεοῦσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει εἰανοῦ ἀπτομήνη καὶ τ' ἐσσυμένη κατερύκει, δακρυόεσσα δὲ μιν ποτιδέρεται ὄφρ' ἀνέληται.

CALLIMACHUS (*Fr.* 11):

Γηράσκει δὲ γέρον κείνος ελαφότερρον,
κοῦροι τὸν φιλέουσιν, ἐὼν δὲ μιν οἶα γονῆα
χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρῃς ἄγουσι θύρην.

Filios commemorat patrem ducentes itaque a lapsu servantes, qualis senibus facilius accidit, ut est in MEGARA (113):

Ἄλλ' ἀστεμφές ἔκειτο, γέρον ὅσει τ' αμενηνός
ὄντε καὶ οὐκ ἐθέλοντα βήσατο γῆρας ἀτερπές
καππεσεῖεν· Χεῖται δ' ὄγ' ἐπὶ χθονὸς ἐμπεδον αὔ-

τως,
εἰσόκε τις χειρὸς μιν ἀνειρύσσει παριόντων
αἰδεσθεῖς ὄπιδα προτέρην πολλοῖο γενείου.

Novercam impiam commemorat HORATIUS (*Epod.*, V, 9): *Quid ut noverca me intueris?*¹ Miram imaginem et quae a gustu nostro abhorreat, a philosophis petivit OVIDIUS (*Met.*, VII, 125):

Utque hominis speciem materno sumit in alvo
perque suos intus numeros componitur infans,
nec nisi maturus communes exit in auras...

(Sequetur).

ALEXANDER AURELI.

¹ Alias haec imago, quantum equidem scio, non exstat. Sed vix temere THEOCRITI (VIII, 15) οὐ θησὼ πόκα ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπὸς ὁ πατήρ μιν, χά μάτερ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα παντ' ἀριθμεῖνται sic vertit Vergilius (*Ecl.*, III, 33): *Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca; bisque die numerant ambo pecus.*

FRANCISCUS ROESLER pictor romanus

Franciscus Roesler, genere Helvetius, domo Romanus, qui abhinc paucos annos fato concessit, prima iuventa, relicta patris mercatura, egregiam picturae operam navavit, atque ob singularem peritiam et mentis celeritatem inter praeclaros habitus est. Eius tamen virtus, quoniam novitati

potius studebat, posthabitis magistrorum exemplis, amoenioris potissimum picturae argutiis inclaruit. In hoc picturae genere imprimis splendescens, nullis difficultatibus deterritus vel retardatus, principem sibi locum facile comparavit. Ad hoc, ut civico munere mordicus fungeretur, quemadmodum cogitabat, atque eximiam operam Romae navaret, eo potissimum contendit, ut veterem urbis faciem ob oculos Romanorum suae aetatis poneret. Ita enim Romae suae decus firmare credidit atque adaugere. Quid Roma sui temporis pulcrius, quidque venerabilius? Ac propterea, praeclarissimus hic vir, et magnis utique laudibus excipiendus, quum primum, per disiectos muros ad Portam Piam via in Urbem aliena civitas irruit, universique orbis terrarum caput in regni italici dominatum convertitur, mutatis etiam moribus, omnia in Urbe, divina veluti virgula excitata, innovari coepta sunt, unus, improbo erga patriam amore compulsus, coloribus, uti dicitur, dilutis, veteris Urbis faciem tenuit vulgavitque.

Roma enim post illud celeberrimum facinus, prolato pomoerio, in immensum ex improvise crescens et novis usque civibus nimis iam exigua, aedes recentiores construere, et gravi rerum necessitate coacta, ut flumen aquis abundans, ruptisque aggeribus, nova sibi claustra festinanter aperire. Gloria haec nostri Francisci, qui ex ipsis rerum difficultatibus animum sustulit, et invicta fortitudine in opere conficiendo pergens, veteris urbis illius adspectum nobis ob oculos disponit et minutissima illa, quae passim ad fluminis ripam facile occurrunt, quae in latissima etiam tunc planitie, quo liberrime patet, quoque in mediis fluminis fluctibus fiunt, nullo sane labore, imo vero miraculum voluptate, antiquitatis spectator, urbis faciem habet, ut erat ante annum millesimum octingentesimum et septuagesimum.

Et hoc, mea quidem sententia, Romanum est, idque memoratu dignissimum.

Sic Urbs antiqua ruit, ut hinc illic habitatores veteres eiulantes exaudis, quae multos est dominata per annos, parva equidem adhuc, sed suis aptissima, et nunc malleorum potissimum opere, et adsiduis accessionibus, renovata facie, tamquam juvenis in recentiore formam ac commodiorem redacta, mirum in modum, sine aurea, ita grandior apparet, ut ipse Tybris, contractis ripis, in strictiorem cursu coarctetur. Dum igitur novi hospites Romae veteris « immanem ... molemvolvuntque ruuntque », Franciscus Roesler, pulcritudine antiquitatis ac desiderio abreptus, omnia quae natura atque arte elegantiora, illo tempore circumstant, coloribus suis celerrime graphice in tabulis imprimit et quodammodo ab oblivione prohibet, atque ut ita dicam, immortalitati relinquit.

Illa enim aetate, pro re nata atque opportunitate et saepe ex ingenio praescriptoque nullius intelligentioris viri, adeo plerumque erant condita, et sic fiebant, ut omnia essent Romae distincta varietate et plerumque necessitati rerum tantum accommodata; et superba patritiorum aedes casis humilibus adiungerentur; quae si aliquantisper beatiorum amplitudinem deturpant, varietatem quamdam peregrinis generant atque voluptatem; quae res ceteroquin in omnibus celebrioribus orbis terrarum civitatibus plane desiderabantur.

Et Roma urbs erat hoc nomine sui omnino generis. Quod quum aequo animo Franciscus noster adprobaret, quumque omnia ex suo consilio in praesenti impunius male licerent, pro viribus contendit, ut quodammodo in aevum rerum urbis suae aetatis historicus remaneret sine litteris, utique tabulis.

Et nobis, quos aetas superba laudatores temporis acti insimulat, magna ob harum tabularum adspectum, dulcedo occurrit, et in illorum obtutu, veteris desiderata

nobis imago reviviscit. Hinc Tyberim cernis liberiorem exundantem per aggeres superatos effusum: illic piscatores et cymbis et retibus licentiores in fluctibus; hinc inde amplissimus ager apertus plenissimusque ad S. Pauli extra muros, qui nunc domibus, nunc palatiis, nunc aedificiis perpetuis occupatus, ad summam novae urbis amplitudinem brevi iam perventurus videtur.

Et ipsi scriptores *Minervae*, Romanae ephemeridis, amplissimis laudibus Franciscum Roesler exceperunt, eiusque tabulas ad sidera extulerunt; quorum exempla secutus, haec pauca ego ipse conscripsi.

SENIOR.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIIUM

Andreas Avenarius Iosepho Fornario doctori cl. s. d.

Quae litterae suaviores allatae sunt, has non semel legisse habemus satis, sed bis hodie lectas, cras requiremus tertio. Hoc etiam tua ad me Tassetumque epistola factum his diebus est. Cui ego statim respondendum statueram, sed, ne inique auferretur spatium Tasseto, paucis.

Magnum hercule solatium narras, quod supremus Ecclesiae pastor te communione sanctorum monitum fortiorem reddidit ad ferendum casum tam naturae hominum acerbum. Potuit te idem simpliciter hortari, ut arrectis auribus cordeque aperto in dulcissimae coniugis exequiis perciperes magnifica verba praelationis mortuorum, quam ipse pontifex in sacrali libro ponendam curavisset. Ego, si consolatoriam ad te dedissem epistolam, nihil scripsissem aliud, nisi quod ante annos XIV quidam ex ludimagistris oppidi mei ad meum patrem dixit in praematurato

meae matris obitu, quae eodem malo atque tua uxor similique sex dierum spatiolo abrepta est. Is, quum aliquanto postquam illam extuleramus domum nostram venisset: - « Avenari - hoc verbum Latine est fere quod Haberl Germanice - Avenari - inquit - noli oblivisci patrem caelestem nullos committere errores ». Quam id recte, quam sapienter dictum! Adhuc, ubi dictum est, monstrare locum possum, ex eoque tempore, quotiens vel mihi ipsi aliquid vel aliis ingruit, quod humana removeri non possit prudentia, hac voce uti soleo. Deus sapientissimus non erravit, quum illo temporis puncto decedere iussit vel mihi matrem, vel tibi uxorem, vel utrique summum pontificem...

Rem te acu tetigisse dico, quod proscriptisti saburram istam grammaticae. Multi, multi, inquam, idem senserunt atque sentiunt. Legi nuper orationem hominis cuiusdam literati, qui iam ante duo saecula vehementer peroravit in cadavera regularum exceptionumque hortatus, ut post simplicia elementa declinationis et coniugationis statim hauriremus ex fontibus, scriptores sumeremus in manum.

Quin imo ipsa natura viam linguarum monstrat cogitantibus. Hic sermo patrius grammatica ne contortulisque enuntiatis est nobis partus, an sine ullis adminiculis grammaticae in matris haerentes brachiis coepimus balbutire primum, deinde loqui, postremo legendis libris eleganter loqui atque scribere? Fuit in his Saravae finibus sacerdos, qui patris aut sororis filium adhuc infantem domi suae exceptum Hebraicam docuit linguam et alteram quam-piam. Infantulus is est, qui alienae terrae linguam ignoret. Qui si in terra barbara erit positus spe privatus reditionis et linguae copia suae, brevi noverit, opinor, novae terrae lingua flagitare quae excitam famis rabiem queant sedare.

Sed adhibetur iam in quibusdam provinciis nova et naturae hominum accom-

modata ratio linguarum tradendarum percipiendarumque. Porrectus ante hos tres menses mihi est libellus, quo nova methodus adumbratur. Ostendit auctor se summa cum utilitate et propemodum laetitia discipulorum ita tradere linguam Gallicam, ut initium faciat ex articulis ephemeridis, *Echo de Paris*, e quorum verbis, numeris et notulis quasi ponticulos struxerit in rerum cognitionem. Hoc auctori fortunatum sit et brevi nostratibus offerat linguam Latinam; nam Gallica et, nisi omnia me fallunt, Italica perpolita ei est.

Quamquam, quum nil sine magno vitae labore dederit mortalibus, ne huic quidem rationi nimium dixerim tribuendum. Nam ut omittam illud, quod recte nemo negaverit, ad acuendam mentis aciem valere plurimum ad regulas grammaticae aptare et, ut ita dicam, tornare verborum circumitus, nisi aut optimum librum aut optimum magistrum adhibere possis, post annum nihildum effectum esse sentias.

Possum nominare doctorem linguae Gallicae callentem Gallice non minus quam Germanice. Hic in scholam intromissus ut quartanis traderet elementa Gallica, circumire coepit in auditorio digito monstrans singula singulorumque alta voce artificiosoque vultu pronuntians vocabula, et post sex menses nondum exactos classem illam partim laetus partim tristis - quis est, quin clade in scholastica re accepta doleat? - auditores, non hebetiores ingenio ceteris, cessit alteri.

Sed sentio, edepol, quantopere iam sim elapsus epistolari brevitate. Illud certe effecisti tua epistola, ut me tenaciorem redderes sermonis Latini apud hos pueros, et quae statis horis facere soleremus, colloquiorum.

Sed linguam Latinam non modo, verum quamlibet aliam, qui ex antiquo praecepto meo Latine multum legerit, plus scripserit, semper locutus erit non omnem, sed magnam partem venis exceperit.

Eiectus ante duas hebdomadas ex habitaculo, in transitu ad hoc, ubi frigore rigidus haec ad te scripsi, ut fit, in antiquum incidi ea de re tractatum, quem tum quidem, quum satis non esset limatus, ad te dare nolui, quem tamen, si, ubi vacuum fuerit, relectus dignus erit visus, mittam.

Utinam fiat aliquando, quod his diebus in via ferrea quidam de plebe artis suturiae homo, non sane nimium deditus religioni, quippe qui se, quod a suo esset offensus parrocho, iam diu abesse rei divinae solere diceret, in sermone postulavit: - « Romanorum - inquit - linguam per totum orbem terrae adhiberi oportet ». Locutus enim erat cum iis, qui in curru aderant, de lingua Gallica, cuius Saravisoni crebro hac tempestate aures permulcent. Vale.

viii Kal. Apr.

**

Iacobus Tasset Andreae Haberl sacerdoti s. d.

Lugdunum accedit agmen horae tertiae septimo et tricesimo spatio, discedit autem inde spatio decimo secundo horae quartae. Quum cesset igitur cursus ibi semihoram, corpus potu ciboque curare in stationaria caupona poteris. At Divione intermissio itineris unius est tantum sexagesimae partis, per quam descendas oportebit. Mutandum est enim illic tibi vehiculum, et via mutanda, ne pergas in Lutetiam. Cursus ad Mettem, rogato, quae crepidine sit exspectandus? An non iam instructus?

De partibus et scrupulis horarum haec tenus.


Diga vero, vocabulum a « Praecone Latino » in America fictum, quasi *disiuga*, rhedam significat iumentorum expertem; quam viribus suis, aiunt, ultro sponte sua, mobilem; verius: machinariam. Vale.

Die xxii mens. Martii, Turnoduro,

**

Felix Ramorinus, doctor litteris tradendis in athenaeo Florentino, Iosepho Fornario viro clarissimo eidemque sibi dilectissimo s. p. d.

Appropinquantibus Paschalibus festis omnia fausta et felicia tibi ominor, gratulorque quod mira constantia doctrinaeque optimum tuum latinitatis praeconium sustinere, promovere meliusque reddere pergis. Utinam Itala iuventus et antiquarum litterarum magistri sibi persuadeant, sine latini eloquii facultate omne classicorum scriptorum studium mancum fore et debile, vix ac ne vix quidem patrum nostrorum memoria dignum! Tu, amice mi, cura ut valeas.



IV ID. MART. MCMXXII
CENTENARIA DIE TERTIUM RECURRENTE
A QUO FRANCISCUS XAVERIVS
INDIARUM APOSTOLUS
IN ALBUM SANCTORUM RELATUS EST

FRANCISCO XAVERIO AD INDOS PROPECTURO

*Pontus refusus undique fluctibus
manet sonorus te per atlanticas,
Francisce, ripas perque eoi
litora barbarici remota.*

*Diri labores, sudor et aestuans,
curae molestae, sollicitus timor,
iam iam manent laeto paratum
omnia te superare vultu.*

*Te regna Bungi, Serica te plaga,
urbesque, gentesque, ac freta Iaponis,
regnata Diti et quondam averno
Bactra petunt, patulaeque Sinae.*

*Emensus aequor soleque fervidas
ardenti arenas, abdita vallium
adibis exsultans et arces
alpibus impositas tremendis.*

*Hic spem reduces mentibus anxiis,
illic piabis crimina sontibus;
gentesque speranda salute
sollicitam explicuere frontem.*

*Tu fortis aras vertere funditus,
et monstra fidens edere maxima,
dis, utilis sagax, dolosis
perniciem meditaris altam.*

*Iam nunc deorum signa cadentium
cerne, et ruinas daemones incitas:
delubra cerne ictu Tonantis
iam labefacta sacro nefanda.*

*Heros o pergas! En stata praemia:
perfunctus amplis rite laboribus,
caelumque conscendes triumphans,
orbeque nomen habebis alnum.*

G. VENTURINI, S. I.

SIXTO V PONT. MAX.

quarto saeculo exeunte ab Eius nativitate

*Orbis Te cunctus magno veneratur honore,
Sponsae a qua Christi gloria celse venit:*

*Nam, Sixte, in Petri sublimi Sede fuisti
Doctrina et gestis sol velut axe micans.*

*Altae vis mentis, natura adamantina, velox
Par vigor ingenio sic nituere simul*

*Ut genus humanum doceant vestigia Summi
In Te Factoris sculpta fuisse magis;*

*Et iusti et veri forti Tu pectore vindex,
Iam sacra sceptrata tenens, tolleris historia.*

*Piceni ergo dum merito laetantur ovantes
Ut tua laus ingens sit celebrata cient!...*

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI.

PATAVINI ATHENAEI CENTENARIA COMMEMORATIO

Saeculum iam septimum expletur ex quo celeberrimum illud Patavinum athenaeum conditum est; cuius faustissimi eventus memoriam Rector, Senatus Professoresque recolere optimo iure satagunt. Ad rem litterae vulgatae sunt, ad nos etiam missae, qui, nisi praesentes, ex animo tamen solemnibus indictis participes erimus. En interim earum litterarum tenor:

Universitatem nostram, anno MCCXXII ortam, inter omnes constat iam XIII saeculo discentium frequentia et magistrorum praeceptis institutisque floruisse; XV saeculo exeunte, cum inter ceteras Italicas sorores praestaret, omnibus Europae populis humanitatis atque industriae viam monstravisse et quasi quandam sapientiae faciem praetulisse, quae postea, nubibus tenebrisque interdum obducta, nunquam tamen extincta sit. Nunc autem illam, quasi reddita iuventute, novas vires in dies resumere et ad pristinae dignitatis non fallacem spem revirescere videmus.

Qua re nobis placuit ut septima saecularia huius Universitatis pridie Idus Maias non sine aliqua magnificentia agerentur: quibus festis sollemnibus patrocinium VICTORII EMMA-NUELIS III regis nostri decus et ornamentum addet.

Sed memoria vetera lustrantibus et considerantibus qui, quot viri, ex quot orti gentibus, in Universitatibus, quas vocabant, Iuristarum et Artistarum huius antiquissimi Gymnasii, in omni studiorum genere elaboravissent et rerum magnarum atque artium scientiam essent consecuti, sic nobis persuadebamus, saecularia nostra non modo ad nos, sed etiam ad Italiae et totius orbis terrarum doctos homines pertinere. Athenaea igitur omnia et Academiae et scholas et gymnasia, in quibus iuventus studiis liberalibus vacat, roganda censuimus, ut legatos ad nos mitterent, per quos huic

liberalium studiorum doctrinarumque inventrici et quasi parenti suus honor redderetur. Quam invitationem nostram, clarissimi viri, benigne vos accepturos esse confidimus. Longum fortasse et laboriosum iter erit legatorum: aliquid tamen hic invenient praemii. Urbem enim, in qua Titus Livius natus est, visent, quae omni eruditione libero digna homines imbuit et ex diversis ortis gentibus tamquam fratres fecit; Galilei de Galileis, philosophi et astronomi ex omni memoria aetatum et temporum principis, Ioannis Baptistae Morgagni, qui sedes causasque morborum sagaci animo indagavit, aliorumque complurium illustrium virorum monumenta contemplabuntur; in atriis nostris et in auditorio maximo arma et insignia integra et incorrupta civium suorum parietibus adfixa intuebuntur, qui cum ex hoc quasi litterarum et artium iucundissimo fonte liberalissimorum studiorum lymphas hausissent, in patriam reversi, in aliquo doctrinarum genere admirabiles exstiterunt aut honoribus auctoritate rerum gestarum gloria floruerunt. Denique illa a Musis condita et ornata urbs, quod Venetorum caput est, eos tota voce ex litoribus suis iam vocat.

Itaque a vobis, quae est humanitas vestra, litteras quibus de legatorum vestrorum numero et nominibus certiores fiamus, quam primum expectamus: nos vero, quae est doctorum hominum, ubicumque terrarum vitam degunt, inter se societas coniunctioque, ut laboribus vigiliisque vestris longe lateque diffusam laudem adsequi possitis, cupimus atque exoptamus. — Valet.

DE ITALORUM COLONIA

APUD TONTITOWN IN AMERICA SEPTENTRIONALI

Constat apud omnes, hac nostra aetate, complures ex Italia proficisci, ut in Americam Septentrionalem se conferant, quae situri sibi operando honestiorem melio-

remque fortunam. In illa enim regione multi adhuc sunt latissimi campi et cultoribus vacantes et nullo quasi labore omnia liberrime ferentes. Quo nomine, ut olim Graeci de Argonautis sunt fabulati, qui

Per mare non notum prima petiere carina

latioresque terras longinquas, et arte studioque feracissimas reddiderunt, sic Itali, eadem fiducia adlecti miramque nonnullorum fortunam aemulati, qui maximum in modum divitias citissime auxerunt, inconsiderate et conglobatim illuc se conferunt, cuncta sibi faustissima auspicati. E contra quam saepe sunt lacrimae rerum, quae tamen facile prudentia devitari possent!

Sit in exemplum quod ab hinc paucos annos accidit colonis Italici, qui provinciam *Arcansas* petierant, ubi spatiosam sibi sedem elegerant. Ager enim adsignatus amplius erat et commodus et mitissimis conditionibus, et insuper omni frugum generi aptissimus. In cunctis vero magna nascitur iam non modo spes, sed fiducia futurae rerum abundantiae. At in primis, sine ullo bonorum auxilio, in malas improborum manus inciderunt, qui eorum inopiam avriter abusi, eos sibi prope in servitutem redegerunt.

Ad haec illa eadem regio, quam inconsulti obtinuerant, pulcra equidem erat et olerum frugumque feracissima, at noxia in primis et pestilens, subito novis incolis exitialis evasit. Omnibus ex improviso, miserabile visu, morbo caeli infelix coorta est tempesta. Brevi propterea tempore multi miserrime occubuerunt, et alii gravi morbo correpti, iuvenes pariterque adulti, infelicem sibi finem, et in exilio pertimescebant.

Actum erat de universa illa agrorum colonia, nisi praesenti numine virtus adstisset Petri Bandini, sacerdotis, qui iamdiu in illis regionibus Dei amorem et religionis studium cum perpetua in egenos cives liberalitate coniunxit. Impensa enim

sua aegrotantibus illis consuluit omnesque inopia laborantes re et consilio iuvat. Et dum res ita in peius ruunt, maxime Petri Bandini caritas atque sapientia enituit, qui singularem in illis rerum difficultatibus diligentiam professus, paremque atroci tempori animum exhibens, sacerdotis caritatem prudentia cumulavit. Novam idcirco et salubriorem terram comparandam esse censuit; et illuc, nulla interposita mora, aegrotantes perduxit, sanos vero ad metalla propiora misit, ut rapidis copiosisque emolumentis relatis, in melius rem honeste reducere possent.

Omnia ex eius consilio, Deo adiuvente, succedunt. Pacatis enim rebus, ad suos breviter reversi, et honesta ope aucti, facile suorum egestati propitii adstiterunt. Pleniora subito atque uberiora cuncta illis florescunt. Cunctos supereminet sacerdos, qui caste, integre et naviter, munus ita obit, ut omnium sibi benevolentiam mereat, ipseque habeatur tamquam suavissimus parens.

Eum ultro prosperae suae fortunae auctorem undique praedicant, eum patrum suarum familiarum appellant, eumque laudibus ad sidera adferunt.

Ipsa vero sui securus, posthabita etiam valetudine, ab officii religione nunquam declinavit. Rebus suorum fidissimus, dum egentium inopiae propitius adsistit, ad caelestia spectans, re atque consilio aedem ab inchoato construi iussit, ne quid suis in posterum ad salutem desideraretur. Si vitae puriter actae documentum dederant, quod adventantem mortem in suorum complexu placidissime conquiescebant, nunc vero rebus in prosperis, uno ore magnas Deo gratias agunt, maioresque in posterum relaturi profitentur.

Novam illam sedem, quae in dies crescit ac prosperat, *Tontitown*, seu civitatem *Tonti*, dixerunt, ex clarissimo viro huiusce nominis, qui ab Italia profectus, primus hanc provinciam invenit atque excoluit.

Illic inito simul foedere viribusque coniunctis, quodque melius, sui iuris atque mancipii ad virtutem atque ad felicitatem sapienter sub ductu praescriptoque sacerdotis vitam instituunt, seque ad veram felicitatem praeparant.

Omnia inter illos prospere cedunt, nec modo copia crescit, sed superflua exundant.

Oh! vere in illa regione redierunt Saturnia tempora, et magnus ab integro saeculorum nascitur ordo!

I. B. F.



COMMUNIA VITAE

De officiis. ¹

Dolore (angore) confectus est. - Per aegritudinem animi animam expiravit. - Animi moerore (moeroris tabe) extinctus est. - Curis obrutus (oppressus) est.

Dècrepitus (senex capularis) vita functus est. - Senectute vitam deseruit. - Maturam mortem oppetiit. - Naturae cessit (concessit; satisfecit). - Fatis (in fata) concessit. - Sua morte defunctus est.

Immatura morte extinctus est. - Viri aetate obiit. - Vita ipso in flore exaruit. - Nimio studio se fregit.

Strenue (fortiter) in proelio cecidit (occidit; occubuit; mortem oppetiit). - Honestam (praeclaram; gloriosam) mortem oppetiit.

Pro patria vitam profudit. - Patriae se devovit. - In victoria (laetitia) mortuus est. - Aeque animo mortuus est. - Iniquo animo mortem accepit.

Sereno vultu mortem oppertus est. - Sancte (pie) obiit (in Domino obdormivit). - Pio sanctoque fine vitam clausit. - Magno cum pietatis sensu supremum diem

¹ Cfr. fasc. sup.

obivit. - De morte sollicitus, ei religiosissimam praeparationem adhibuit. - Decessit, piacularium sacrorum ope praesidioque instructus. - Extremis expiatus (procuratus) sacramentis (extrema sacramentorum expiatione defunctus) placidissime obiit. - Vita functus est sacrae Eucharistiae viatico rite munitus (instructus).

Singulari certamine congressus (monomachia decertans; viritim digladians; depugnans; dimicans; manus conserens) misere vitam finivit.

- Ecquando singularia certamina (duella; monomachiae; singularia proelia) interdicerentur (inhibebuntur)?

- Manus sibi ipsi heu! attulit. - Manus violentas sibi intulit. - Necem (voluntariam mortem) sibi conscivit. - Manibus suis sibi necem intulit. - Se ipsum interemit. - Vitam sibi exhaustit. - Vitam abiecit. - A se manus non abstinuit. - Voluntaria morte vitam abruptit. - Manu ipsa sua cecidit. - Suum sibi sanguinem hausit. - Se ipse exanimavit. - Mortem sibi autorizavit.

- Euge! mortem omnibus natura proposuit. - Omnibus proposita est mors. - Moriendum omnibus est. - Omnibus mors definita (constituta) est. - Mortalitatibus vetigales sunt quotquot vivunt.

Conceperat ne (scripto conceperat; condiderat; conscripserat) ante mortem testamentum? - Testatus ne erat? - Testato ne (te: tatus) decessit (mortuus est)?

- Iam multos annos formula conceptum exaraverat holographum testamentum; dein irritavit (fregit; infirmavit; rescidit; irritum fecit; testamento vim derogavit; testamenti vim infregit). Quum vero ei ultima necessitas denunciata est (iam iam esset exhalaturus animam; quum mors instaret; quum ultima hora illi immineret; quum a morte prope abesset; quum in ipso esset mortis limite; quum iam iam ipsi moriendum esset; in extremo spiritu; in vitae exitu) supremas tabulas (diathecas) per notarium condidit.

- Resignatum (apertum) ne est adhuc testamentum? - Ecquem haeredem constituit (instituit; nuncupavit)? An te?

- Imo me omnino praeteriit. - In testamento mei fuit immemor. - Nihil mihi testamento reliquit (legavit). - Me haereditate abdicavit (multavit; exclusit; privavit; orbavit; spoliavit; abiudicavit; me exhaeredem fecit).


Ex tabulis, haereditas data (attributa) est Titio, qui eam statim adivit.

- Quid autem testamento cavit defunctus?

- Titium ex asse haeredem scripsit, qui amplissimas quidem fortunas hinc adeptus (nactus) est. Luculenta praedia et ampla, et divitiae omnis generis obvennerunt (contigerunt; obtigerunt; servata sunt) Titio.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.



ANNALES

Conventus ... conventum invocat.

Conventus conventum alium sequitur, dumque in iis consulitur, non Europae tantum res, sed universi fere orbis, nisi in peius ruunt, certe in melius haud mutantur. Lutetiae enim Parisiorum legati victricium nationum congregantur ad Orientis discrimina componenda; verum neque componuntur inter se varia legatorum consilia, neque bellica actio relinquuntur in Asia minori; quin imo Graecia hinc, atque inde Angorana civitas, arma non prius se deposituras declarant, quam utriusque digna pensatio constituatur. Galli recognitionem foederis ad Sèvres initi illic sustinent, Smyrnamque urbem deserendam a Graecis affirmant; vae autem illi, qui vel obiter attingat recognoscendum quoque Versaliense pactum esse, et a Ger-

manicis locis etiam nunc occupatis esse recedendum: si fieri possit ut argumentum hoc apud Genuensem conventum, qui proximis Aprilis mensis diebus habebitur, in medium quodammodo apponatur, minitantur sese non interventuros, vel etiam quolibet tempore inde recessuros... Cui quidem Genuensi conventui minime aderunt Septentrionalis Americae foederatae civitates, quae quidem declararunt, velle se prius videre arma ubique deposita, vel saltem imminuta: nisi id factum fuerit, minime licere de Europae rebus reficendis consulto loqui.

Conveniunt interim simul « civitates neutrae », quae scilicet horrendi belli haud participes, Diis faventibus, fuere, ut statum suum decernant et actionem in ipso Genuensi conventu servanda; atque demum Parisiis convenit iterum Nationum societas ad quaestionem de Russicis profugis agitandam.

Profecto nisi bona voluntas intercesse-rit, quam Deus praecepit, nulla erit hominibus pax vera atque durabilis!

* *

Regia itinera.

Die xxviii superioris mensis Martii, Romae hospites fuere Albertus, Belgarum rex, Elisabeth eius uxor et Leopoldus, filius, regni haeres. Res eo magis memorabilis evasit, quod primus hic fuit Catholicus monarcha, qui abhinc annos quin-quaginta in Urbem advenerit et Summum Pontificem visitaverit.

* *

Varia.

— Londini Communium, qui vocatur, coetus legibus ferendis ratum habuit foedus cum Hibernia compositum; quies vero nondum in Hibernia omni instituta est.

— Flumana civitas in tumultu fuit, gubernatore eiusque consilio a *fascistarum*,

quos nunc appellant, factione depulso. Quum vero Italicum gubernium, iuxta pactiones cum Iugo-slavorum natione compositas, renuerit Italicum illic supremum moderatorem Giuriati recognoscere et imperii summam vel pro tempore assumere, res in antiquum ordinem iterum cessarunt.

— In Hispania novum administrorum suffectum est collegium, praeside Sanchez Guerra.

Kal. Aprilibus MCMXXII.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

Die xv mens. Martii MCMXXII decretum est esse repropandum opus cui titulus: CHANOINE S. LEGUEN. — *Une mystique de nos jours. Sœur Gertrude-Marie, religieuse de la Congrégation de Saint-Charles d'Angers.*

* *

Ex Congregatione de Religiosis.

Circa pecunias Religiosis obvenientes occasione servitii militaris praestiti tempore belli.

I. Religiosi solemniter professi quidquam pecuniarum, quae illis occasione servitii militaris durante bello praestiti obvenerunt, iure sibi retinere non valent, sed eas omnes suo Ordini refundere tenentur.

II. Religiosi sollemniter quidem professi, sed ex indulto Apostolico post professionem nihilominus capaces acquirendi, quidquid pecuniarum uti supra suas facere non valent absque assensu et licentia expressa sui Superioris maioris.

III. Religiosi simpliciter professi, sive in perpetuum, quorum constitutiones excludunt post professionem omnem ulteriorem acquisitionem bonorum temporalium, si tempore

VACUI TEMPORIS HORA

Nescio an Horatii tempore, quum egregius ille poeta *hominem emunctae narvis* indicavit, quae verba deinde in proverbium quodammodo cesserunt, et *pravum nasum* est abominatus, **nasorum studium** inductum esset; certe hoc nostris diebus ita invaluit, ut tradita iam sint praecepta, per quae quisque cuiusque hominis virtutes et vitia ex hoc humani corporis membro ex sese deprehendere valeat. Quorum summam hodie hinc tradere constitui, perpetua illa voluntate motus, fructuosa lectoribus meis indesinenter offerendi.

Igitur iuxta huiusmodi disciplinam, quam *nasographiam* graece appellabimus, nasus recta petens indicium est hominis gravis, gnari, humani, atque diligentis iustitiam.

Ille ex adverso cui nares laxantur, ad mollitiam pronus apparet.

Nasum aduncum qui possidet, discrimina appetit et ignota.

Vae naso ad arcum verso! Argumentum est perfidiae et crudelitatis. Hunc exhibuerunt Catharina e Medicea gente Anglicaque Elisabeth.

Caritatem, contra, humilitatem, candorem, plurium Sanctorum exemplo nasus deductus demonstrat.

Nasum pallentem Stoici habuisse ferunt: inde amor sui et contemptus aliorum, segnitia, frigus; rubrum Bacchi asseclae plerumque ostendunt; ceteri per eum naturam iracundam, protervam patefaciunt.

Nonnullorum hominum nasi ad psittacei rostri formam effecti sunt: his animi infirmitas, imaginum ac persuasionis defectus, ingenium instabile.

Nasi parvi virorum superbiam et iactantiam, mulierum autem illecebras denotant.

servitii militaris votis ligati erant, tenentur dictas pecunias omnes suae Religioni tradere.

IV. Religiosi quomodocumque simpliciter professi in perpetuum vel ad tempus, sive in Ordine, sive in Congregatione, quorum constitutiones non obstant, si tempore servitii militaris votis adscripti erant, de pecuniis titulo stipendii acceptis, quidquid suum facere non valent, et quidquid post eorum dimissionem ex exercitu superfuerit, respectivae Religioni tradere tenentur. Valent vero huiusmodi pecunias titulo stipendii suas facere ii quorum vota cessarunt; et de iis quae post eorum dimissionem ex exercitu superfuerint tenentur aequam compensationem suae Religioni tradere.

V. Pensio vitalitia data ob mutilationem vel debilitationem in bello perpessam religionis simpliciter professis, vel iis de quibus in can. 673 § 1, aut demum iis quorum vota vel promissa suspensa manebant, pertinet ad Religionem pro religiosis tempore servitii militaris votis obstrictis; quoad ceteros, pertinet ad personam, quae tamen tenetur eam suo Instituto tradere quamdiu in eo permaneat.

VI. Emolumenta pecuniaria ob decus militare in bello reportatum obvenientia non pertinent ad ex-milites, sed ad Religionem, nisi de iis agatur qui votis non erant obstricti tempore belli.

VII. Retributio singulis militibus in actu eorum dimissionis tributa tamquam solempne publicae gratitudinis signum pertinet ad Religionem, nisi tempore belli votis ligati minime fuerint.

VIII. Qui de pecuniis occasione belli perceptis contra resolutiones, de quibus supra, iam disposuerint etiam in favorem tertii, tenentur ad restitutionem, nisi religiosus ex permissione Superioris, rationabiliter praesumpta, egerit. (Ex decr. d. xvi mens. Martii MCMXXII).

Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur.

SENECA, Epist. 124.

Nasus denique magnitudine insignis optimatium est proprium, generisque nobilitatem eo clariorem esse affirmant, quo magis hic nasus producat. Ex quo deducere licet, elephantos nobilissima animalia esse, quae terra sustineat.

Plaudite, hercle!

* *

Ne hodie ab utilibus discedam, remedium addam novissimum ad servandam iuventutem, valetudinem et ipsam venustatem. Inventa a iuvene Anglico medico est haec **Silentii curatio**, omnibus medicamentis superior, ad veram moralem quietem nobis comparandam. Neque ea quidem difficilis et sumptuosa: satis est enim ut in silentio singulis diebus horam tantum unam permaneamus, ad miros successus obtinendos. Quod si pedetentim quantitatem auxerimus, et duas tresve silentii horas consequi potuerimus, ah! perfectionem ipsam attingemus. Ecquis dubitet inde huiusmodi consilium amplecti, et rei operam dare?

— Mulieres sane! importuna vox auribus meis susurrat.

* *

Iocosa

In via.

— Aspice hominem illum: auctor in vita sua iamdiu fuit, ut plurimae lacrimae detergerentur.

— Laetor equidem tanta virtute animi sui. Est igitur vere philanthropus?

— Minime quidem; est sudariorum negotiator.

Apud dentium fabricatorem.

— Ah! doctor, quos ficti dentes mihi aptasti, ii intolerandos dolores mihi procurant.

— Atqui veros apprime imitantur!

Aenigmata

I.

Scribe *sinistrorsum*, consurget glandifera arbor;

Dextrorsum, interpres sedulus esto: iuvat.
Si *integri* partes alicui miscere lubebit,
Cum lautis domibus stant monumenta viae.

II.

Lictorem consul *primum* iubet ore severo,
Qui contemptorem statuit punire *secundae*,
Tota viret semperque viret laetissima ramis.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Tela - Telum - Letum*; 2) *Olim - Milo*.

IOSFOR.



LIBRI DONO ACCEPTI

Ad Aristophanis nubes adnotationes criticae. Scripsit I. M. HOOGVLIET. — Ex mnemosynes bibliothecae philologicae Batavae, 1921.

P. IGNACIO ERRANDONEA, S. I. *Gramática latina*. Tercera edición. — Barcinone, edid. Eugenius Subirana (Puertaferriosa, 14), 1921.

NOVISSIMI POËTAE LATINI, Thoma Sorbelli curante collecti. — I — ALPHONSI MARIAE CÀSOLI E S. I. *Lycorum liber*. — Mutinae, typis Vincentii et Nep., MCMXXII. — Ven. lib. 15.

D. G. CARD. MERCIER, Arcivescovo di Malines. *La vita interiore*. Invito alle anime sacerdotali. Ritiro predicato ai suoi Sacerdoti. — Prima edizione italiana autorizzata dall'autore sulla seconda francese. Vol. 2. — Mediolani edidit Societas *Vita e Pensiero* (Via Sant'Agnese, 1), 1921. — Ven. lib. 15.

I. FALDELLA. *De redemptione Italica epitome in XII libros digesta*. Excerptum ex

comm. *Rivista di Roma*, mense Augusto et Septembri 1921.

I. CACACE. *Carmina varia*. — Neapoli.

S. MERCET. *Dorian Gray*. Drame en un prologue et cinq actes tiré du Roman *Le portrait de Dorian Gray* d'Oscar Wilde. — Parisiis edid. Eugenius Figuère, 17 rue Campagne-Première, 1922. (Ven. fr. 8).



LIBRORUM RECENSIO

ALPHONSI M. CÀSOLI, S. I., Mutinensis, *Lycorum Liber*. — Mutinae, MCMXXII, typis Vincentii et Nep. — Vol. in 8^o quadr., p. xxxviii-138; pret. libell. 15.

Nomen huius poëtae lectoribus nostri Commentarii iamdiu innotuit. Eius enim carmina, quorum nonnulla ipsi edidimus, in annuo certamine Hoeufftiano pluries magnopere laudata fuerunt et semel etiam aureo praemio donata. Hoc autem volumen, quod elegantissimum est artis typographicae specimen, complectitur quidquid clarus Auctor metrica lege latine scripsit. Carmina haec, quae sedecim numerantur, variis metris varia tractant argumenta: sacra et profana, tristia et laeta, pacifica et bellica, in quibus omnibus luculenter apparet et mirum scriptoris ingenium poëticum, et ars exquisita, qua pollet, quaeque magistrum prodit in disciplina poëtica et in lectione antiquorum poëtarum versatissimum. Intima huiusmodi veteris eloquii latini cognitio auctori nostro aptas etiam suppeditavit voces, quibus recentissima quaeque inventa graphice describeret. Exemplo sint hae strophae alcaicae, in quibus siluros memorat a lintribus subaqueis evibratos, qui

... piscis instar, summa sub aequora,
immane monstrum, missile iecerint
cui multa anhelanti coacta
visceribus furit aura hiatu,

et proruturis stat caput ignibus:
caecum carinas quod simul attigit,
pontumque caelumque in profundum
it fragor: intumescere circum

cum nube fluctus et procul horrida
exaestuanti per freta vortice
hinc inde diffractos vibravit
spuma trabes lacerosque malos.

Haec grandia et lyrica; verum auctor noster aequa felicitate alia quoque poëseos genera adhibuit. Satis erit, speciminis instar, satiricos hos versus referre, quibus poëta *foeminismum* hodiernum insectatur in suo carmine *De mulierum provectione*:

*Foemina, foeminei patiens vix nominis, omnem
Masculam arripit curam: iam artem ipsa me-*
[dendi]
*ipsa forum, ipsa scholas et munia publica obire,
et suffragia ferre, sedileque adepta curule
dicere ius populo, sanctas et condere leges.
Proh! miseri quotquot viri haberi et credimus esse!
Quid reliqui nobis posthac linquetur agendum?
Tonstrinam forte unctamque exercere coquinam;
quin etiam ipsi indusia nostra lavare adigemur,
lotaque concinnare, et acu titubante, peresis
adsuere heu! braccis pannos tritisque lacernis!*

Quam salse et acute haec dicta sunt et Horatiana mordacitate digna!

Superius iam laudavi typographicam huius voluminis elegantiam; huic alia laus accedit: purgatus nempe ab omni mendo textus. Uno tantum in loco, pag. 50, vers. 4, excidit vocula *et*, qua absente versus claudicat.

Accepimus a sacerdote Neapolitano Iosue Caccace, emerito praeceptore in Lyceo archiepiscopali, seriem carminum latinorum, quae auctorem produnt facilem et in componendis cuiuscumque generis versibus exercitatum. Adhibet ille nunc hexametros, nunc sapphicos, plerumque tamen alcaicos, quibus sacra argumenta decantat, uti *Nomen Iesu, Sacramentum Altaris* atque imprimis urbis Parthepeiae Patronum *Sanctum Ianuarium* Martyrem, cuius templo inservit.

F. X. REUSS.

LEO IV

12

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

- OCT. Volo me, pater, colligas in milites,
Meosque scholae socios carissimos:
Trahit pugnandi nos voluptas maxima.
- PUBL. Tibi, quid vobis in mentem venit, pueri?
OCT. Ita, pater mecum venire socii;
Libris nunc positis ad bellum currimus,
Ad bellum sacrum, decorumque patriae,
In patriam fervet dum bellum horridum.
Ad libros denuo, si fas, redibimus.
- CONST. Et hoc audimus istoc Romae tempore?
Oh! digna Italiae iuventus strenua.
- OCT. Quid ni? Si gessit Roma tot pulcherrima,
Adhuc mendacibus nixa numinibus,
Quid non divina poterit sapientia?
Decus pro patria nobis conflagere,
Nobis et pulcrum, vellet si Deus, mori.
Adest sed in mora magnum periculum.
- CONST. Leo sed Maximus, Deus quem so-
[spitet,
Vocat nos ad pacem pacemque con-
[sulit.
- OCT. Sed Afri pacem simulando pessimi
Parant tui bellum horrendis animis.
E vultu perfidam personam detraham,
Vestrum monstrabo perfidum consi-
[lium.
Afrorum novi genus vos turpissimum...
- CONST. Omnes ne velim Africos vituperes!
- OCT. At omnis armis civitas nunc perstrepat,
Cunctosque cives provocat ad praelium.
Nec verbis indiget Roma nunc, sed
[opere.
Sine te exorem puer, armis nos indui,
Permitte ut milites venire in ordines,
Suoque Marte decertare in agmine.
- PUBL. Puer, vos admiror, sed... Tempus haud
[eget
Istis defensoribus... Tenuis nimis
Vos estis...
- OCT. Pater, nobis est cor pertinax!

SCENA V.

LEO, THEODATUS et DICTI.

- NUNCIUS. Adest in aula mox Pontifex Maxi-
[mus;
Favete linguis, et remotis arbitris!
(*Magnum silentium. Constans et Publius stant
sinistrorsum, alia parte Octavius. Pontifex
introgreditur cum Theodato colloquens
confidentissime.*)
- LEO. Meae relinquit potestati Italianam?..
- THEO. Suae nam copiae pressae sunt ab ho,
[stibus;
Sunt qui tenaces pugnis et adsidui..
Imperatori fesso sic laboribus
Nulla est occasio mittendi copias.
- LEO. Habet sed usque commodum discordias
Novas serendi magno cum Pontifice,
Nec urbis ipsis parcat atque Episcopis,
Forent ut illi maxime adversarii...
Mores o mutati, diversa tempora!
- PUBL. Agendum fortiter nobis interea...
- THEO. Iubet, dat imo verba plena consilii...
Hostes ne velles imprudenter tangere!
Tot sunt, audaces dissitis de partibus,
Nimis quot pressant diversi numero,
Ut ipsis diceres surgere de tumultis,
Audentes, impigri, pugnaces, alacres.
« Potes superbos animos tu tondere,
« Dabis tu leges aptius victoribus,
« Amant qui multis colunt te virtutibus ».
- LEO. Sed ista germinant verba molestiam.
Posset at milites vocare Pontifex
Hisce temporibus magnis reipublicae?
- THEO. Te dicent illos provocare audentia...
Nosti quam sint homines perfidi istoc
(*Ad proximum numerum.*) [saeculo?

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.